



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

abundabunt frumento : omnia autem, sive colles, sive valles ; sive campi exculti, sive deserti, sive pecora, sive fruges suo modo clamabunt in laudem Dei ; imò etiam quodammodo hymnum cantabunt conditori, & benefactori suo.

PSALMUS LXV.

Titulus : *In finem, Canticum Psalmi Resurrectionis.*

Illud in titulo Resurrectionis, nec legunt Hebraei, nec, teste Theodoro, Septuaginta ; legunt tamen Hieron. & Aug. Interim videtur hæc unica vox, à quocunque addita sit, prudenter addita, ut indicet argumentum Psalmi.

Argumentum est gratiarum actio pro beneficiis Dei, sed potissimum pro perfectâ felicitate post omnes finitas calamitates : quod sine dubio in resurrectione erit.

✠. 1. *Jubilate Deo omnis terra: psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus.*

Invitat omnem terram, h. e. omnes electos ex eâ, ac tria requirit : jubillum, quod in affectu est, non ita in verbis : *Jubilate Deo* : Deo enim, qui Spiritus est, spirituale desiderium maxime convenit. Dein sonum psalterii hic deberetur nomini, seu famæ, seu gloriæ Dei. Demum vocem humanam, *date gloriam &c.* h. e. hæc sit gloria vestra Deum semper laudare, & in ejus laudibus gloriari.

✠. 1.

¶. 2. *Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine? in multitudine virtutis, mentientur tibi inimici tui.*

Indicat materiam laudis. Dum Deum laudare vultis, dicite: opera tua præ magnitudine suâ terrorem omnibus incutiunt: tanta est virtus, & potentia tua, ut mendaces ostendat omnes inimicos tuos, qui te etiam multò minora non posse jactabant. Hujusmodi mendaces vide Ps. 77. Num. 11. 4. Reg. 7. &c.

¶. 3. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.*

¶. 4. *Venite, & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.*

Iterum excitat omnes homines ad Deum vero corde adorandum, & laudandum: quem in finem hortatur ad consideranda opera Dei, qui terribilis est in consiliis rerum agendarum supra omnes homines.

¶. 5. *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi letabimur in ipso.*

Ponit duo exempla operum mirabilium Dei, quæ nullo humano consilio unquam fieri potuissent. Exod. 14. siccavit mare rubrum; & Josue 3. Jordanem, ut libero pedi transitus pateret. *Ibi &c.* ubi hæc facta sunt, non in nobis, sed in Deo lætati, & gloriati sumus. *Pertransibunt, letabimur*, ponit futurum pro præterito.

ψ. 6. *Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi ejus super gentes respiciunt, qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.*

Hæc videtur digressio ad impios, qui Deo subjici, eumque laudare contemnuat. Eos admonet omnipotentia, & omniscientia Dei, ut vel timore poenae resipiscant. Qui ex potentia sua, non aliunde accepta, sed sibi propria, dominatur æterno imperio, is quoque vidit omnes gentes, & ex alto speculatur omnia. Ideo qui exasperant hunc Dominum, non gloriantur de suis viribus, quia non effugient manus omnipotentis, & omnia videntis Dei.

ψ. 7. *Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis ejus.*

Illâ digressionem præmissâ, jam tertio invitatur omnes gentes ad benedicendum Deo nostro, qui solus est verus Deus, & ad prædicandas laudes ejus tam clarâ voce, ut ab omnibus audiat.

ψ. 8. *Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.*

Ideo tantopere cupio Deum laudari, quia fecit, ut anima mea non periret, & me titubare, & labi non permisit, h. e. de maximis periculis vitam meam liberavit.

ψ. 9. *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.*

Variè explicat tribulationes justorum. Primò

meta-

metaphorâ fornacis, ut significet Deum permittere eorum tribulationes, non ut lædantur, sed ut probentur, puri, sinceri, fideles ostendantur, ut igne aurum probatur.

ψ. 10. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.*

Secundò idem dicit 3. aliis metaphoris, & mirè quidem ostendit justos toto corpore afflictos: nam laquei ad manus, & pedes; onera, & verbera ad dorsum; conculcatio ad capita pertinent. Permisisti nos in captivitatem tradi hostibus, in vincula, carceres; item more jumentorum onerari, cædi verberibus, h. e. vexari laboribus, doloribus; *Imposuisti &c.* significatur crudelis potestas Tyrannorum in subditos.

ψ. 11. *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Ultimâ metaphorâ idem dicit. In pœnam justorum servorum Dei ignis, & aqua conjurasse videntur, ignis consumendo, aqua suffocando. Per *ignem* intellige acriora supplicia, flagella, vulnera, cædes, combustiones; per *aquam* lentiora, sed diuturna, exilia, carceres, nuditatem, famem. Per *refrigerium* intellige cæleste solatium in miseriis.

ψ. 12. *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Vide-

Videtur conclusio esse ex dictis: Quia *eduxisti nos &c.*, postquam *transivimus &c.*, introibo in domum tuam, offeram sacrificium gratiarum actionis; quæ holocausti oblatio debita est, quoniam id vovi, dum essem in tribulatione positus.

ψ. 13. *Et locutum est os meum in tribulatione mea.*

ψ. 14. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.*

Explicat, quod antè dixit. Hæc vota locutus sum, dum tribularer, & auxilio Dei indigerem, atque illius opem cum lacrimis implorarem. Immolabo tibi agnos pingues, & medullis plenos cum bono odore ex arietibus pariter in holocaustum oblatis; addam holocaustum vitulorum, & hircorum.

ψ. 15. *Venite, audite, & narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit anima mee.*

Hortatur in personâ Electorum Dei nos omnes ad suâ sequelam, ut similia beneficia à Deo recipiamus, & ad eandem quietem, ac gloriam tandem perveniamus. Venite omnes, qui timetis Deum, & audite, ego narrabo vobis: quanta fecit animæ meæ.

ψ. 16. *Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltavi sub lingua mea.*

Refert

Refert primum donum electis à Deo datum, donum fidei, & orationis. Ex dono Fidei cognovi captivitatem meam, & Redemptorem meum, & sic oravi &c. Insuper (ecce alterum donum) laudavi Deum , pro acceptis beneficiis gratias agendo , ut rursus alia mererer , quæ mihi deerant.

ψ. 17. *Iniquitatem si aspexi in corde meo , non exaudiet Dominus.*

Tertium donum, Deo illuminante cognoscere, quid impediatur, ne oratio exaudiatur. Aspiceret in corde iniquitatem, est eam internè deletari, eam velle : tales hypocritas Deus non exaudit, sed eos, qui peccatum odio habent, & si fortè peccant, confitentur &c.

ψ. 18. *Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.*

Ideo Deus exaudivit, quia vidit, mihi seriò displicere peccata, & me attendere voci præceptorum suorum, non voci serpentis mala suadentis.

ψ. 19. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me.*

Ergo in perpetuum laudetur Deus, qui tanta fecit animæ meæ, quorum summa est, quòd non amovit à se orationem meam, nec à me misericordiam suam. Perseverantiæ meæ in viâ mandatorum Dei præmium obtinui, liberationem à captivitate, & reditum in cælestem Jerusalem.

PSAL.